

BS 1145  
L3  
V.9  
1891

# JESU UNI ET TRINO

JESU GEMINO SIRACH

## JESU ANTITYPO CHRISTO

VOTUM.

---

Moyses et Prophetæ celebrant Jehova trinum in increata Deitatis S. Triade, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, Siracides nobis hic exhibet Jesum trinum in creata hominum trium homonymorum ternione; Jesum Sirach libri auctorem, Jesum Sirach interpretem, et Jesum Christum utriusque antitypum. Illic ternio est Trinitatis personarum in eadem essentia Dei individua : hic triumviratus Jesu in eadem essentia hominis specifica. Illius mysterium est ἀπόρρητον καὶ ἀνεκφώνητον, ineffabile et inexplicabile, uti ostendi prologo in Isaïam : hujus pariter salus et redemptio admirabilis est et ineffabilis. Illic Jesus amor noster medius intercedit inter Patrem et Spiritum Sanctum : hic medius intercedit inter avum et nepotem. Jesum enim salvatorem nostrum uterque



FONDO DE ALFONSO  
VALVERDE Y TELLEZ

007685

Siracides et nomine, et doctrina, imo prophetia, et actione, sanctitateque, et passione, et resurrectione, posthumaque gloria, velut alter Job ad vivum præfiguratur, uti ex decursu operis, præsertim cap. I, XXIV, XXXVI et LI, liquido patebit.

Quocirca unus Jesus noster in gemino Siracide spirat, loquitur, docet, prædicat, prophetat, ut ipse utriusque anima, mens et spiritus esse videatur.

Unus est sol, sed per condensationem radiorum in nube rotunda et spissa tralucens, binus et subinde trinus resplendet, ut parelius velut trinus sol appareat. Unus pariter est sapientiæ, *ἵλιος* id est sol, Jesus Christus; sed in utroque Siracide, velut in parelio, geminoque sole trinus refulget. Igitur hi sunt tres soles sapientiæ, imo unus sol in gemino parelio unius ternique Jesu coruscans. En tibi Jesus trinus et unus: binus enim est in Siracide, tertius in Christo: binus in typo, unus in antitypo: binus in imagine, unus in exemplari: binus in umbra, unus in corpore. Uterque enim Siracides Jesum Christum typice, velut umbra et imago, signat et repræsentat. Tu ergo, Jesu Siracide, a Jesu Christo, puta a Verbo Patris incarnando, et in Dei præscientia jam incarnato, cœlesti lumine collustratus, tuam in Deum fidem, pietatem et zelum testatus es, tuamque sapientiam, virtutem et spiritum Hebræis, et sæculorum omnium posteris aspirasti; nunc e cœlo tuis precibus eundem omnibus aspira. Tu Jesu Siracide junior, velut germanus avitæ patrum fidei et zeli filius et hæres, interpretando hunc avi tui librum, Græcis, Latinis cæterisque gentibus ejusdem fidem, sapientiam et spiritum communicas, ac infidelium impiorumque quorumlibet perfidiam, perfidamque impietatem jugulas, erroresque et vitia sacris hisce gnomis extirpas. Dixisti enim cap. I, 27: *Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens, quam oderim: qui sedent in monte Seir, et Philistiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis.* Odisti ergo Idumæos, Philistinos, et Sichimitas sive Simaritas, velut juratos Ecclesiæ et populi Dei hostes.

Uterque prælusistis Christo Jesu, qui pariter odit Saracenos, Paganos, Hæreticos: odit, inquam, non ipsos, sed eorum errores et hæreses: ipsos enim ad sui agnitionem, fidem et salutem traducere, sanguinis sui impendio satagit. Omnes Jerusalem terrestrem, et modo cœlestem, trinis, iisque perennibus vestræ gratiæ et gloriæ fulgoribus illuminastis, et jugiter illuminatis. Date huic ævo, quæso, ut eam a Saracenis occupatam postliminio vestræ fidei et Ecclesiæ restitutam aspiciamus et gratulemur. Terram sanctam pedibus calcastis, ore docuistis, manibus sanctificastis: nunc eam pollutis pedibus calcant Agareni, eamque sacrilego ore contaminant, et immundis manibus conspurcant. Restituite eam avitæ veritati et sanctitati, quam a vobis, velut a maternis uberibus, hausit et suxit, ut omnes ejus incolæ Deum verum, ejusque Filium unigenitum Jesum Christum, mundi redemptorem agnoscant, colant, celebrent. Ita ipsa postliminio reddetur suo Jesu et *ישועה* Jescua, suo, inquam, Salvatori (quem olim orbi peperit) et saluti. Amen.